



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Praxis istius exercitii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

prima concipiendo, Deo cunctas actiones nostras in unione actionum filii sui offerendo, & connitendo illas eodem spiritu perficere, quod novimus suas ab ipso fuisse peractas; identidem contuitus aliquos affectivos in ipsum concipiendo, ac familiariter ipsi colloquendo.

Qui viâ hæc gradiuntur, frequenter legere debent sanctum Evangelium, ut verum Jesu Christi spiritum bene comprehendant, gustent, atque illi se conforment, agendo & patiando in cunctis ad eum modum, quo ipse egit ac passus fuit. Ita nimirum, ut ubi conversati, locuti, progressi fuerint, ubi cibos sumpserint, ubi laborârint, ubi fuerint in Ecclesia, in cella, in publico, in privato semper annitantur interiorius æquè atque exteriorius se conformare modo, quo Christus, in terris cum ageret, actiones istas perfecit.

Praxis istius exercitii.

UT exercitii hujus praxis Fratribus nostris eò reddatur facilior, aliquot illius hic exempla apponemus.

1. Surgendo ad matutinas animo suo repræsentabunt Salvatorem nostrum totas in montibus noctes in orationibus transigentem, uti adnotavit S. Evangelista Lucas, ubi ait: *Et*

Luc. 6. 12.

erat pernoctans in oratione Dei. Quod si aliquam insurgendo persenserint repugnantiam, ipsum considerabunt in horto ad versus ingentes repugnantias illas bibendi passionis calicis dimicantem, dicentque cum ipso: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Atque iterum: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut*

Marc. 14.

36.

Ioan. 29.

31.

man.

*mandatum dedit mihi Pater, sic facio : surge-
te, eamus hinc.*

2. Sub oratione sive vocali sive mentali ob oculos sibi proponent, quanta cum reverentia ipse in orationibus suis coram Patre suo æterno consistebat, quamque ei profundas adorationes offerebat.

3. In solitudine ipsum considerabunt in deserto solitarium, Deoque purè vacantem.

4. Actum aliquem obedientiæ exercentes, concipient, quantâ promptitudine, gaudio atque accuratione mandatis Beatissimæ Virginis ac S. Josephi paruerit.

5. Ubi ex obedientia Fratribus suis sive hospitibus, sive infirmis inservire ipsos contigerit, expendant, quanta ipse cum modestia, gaudio atque humilitate id obsequii aliis exhibuerit dicens : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Luc. 22.

6. Occurrente mortificationem aliquam, humiliationem, aut contradictionem subeundi occasione, dicent intra seipsos : *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini in ullo deficientes.* Hebr. 12.
3.

7. Ubi ob defectum aliquem reprehensi fuerint, quem tamen non admisere, ipsum considerabunt injustè accusatum, coram Judicibus, admirabili cum patientia, quin unquam exculare se voluerit, consistentem. Quin imò, si etiam ulterius procederetur, cogitabunt id quod ait S. Petrus : *Cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur :* 1. Pet. 2.
23.

ione

sno.
o, &
quo
enti.
con-
egere
Jesu
tent,
endo
it ac
fati,
rint,
ella,
nte-
do,
istas

stris
ex-
ræ-
on-
uti
Et
ali-
am,
gen-
licis
nod
co-
scut
an-

ur: tradebat autem iudicanti se injustè. Hoc faciet, ut in omnibus & per omnia patientes existant.

8. Quod si quid è contrario audierint, quod vergat in laudem ipsorum, recordabuntur, quantum ille moderationis ac modestiæ exhibuerit, ubi populus ei, post sermones suos admirabiles, applaudebat, cuncta referendo in gloriam Patris ac dicendo: *Ego gloriam meam non quero, sed honorifico Patrem meum.*

Joan. 8.

49.

9. Si quid eis ex paupertate defuerit, lætitia perfundentur non modica, considerantes etiam Salvatori nostro non rarò defuisse vitæ nedum utilia, sed & necessaria. Quod si è contra nihil eis deficiat de eo, quod ei se conformandi occasio ipsis defit, ingemiscunt.

10. Quod si etiam videant virtutes impugnari; Regularem observantiam imminui, ac spiritum Ordinis adulterari, postquam rem Deo commendârint. eaque, quæ zelus ac prudentia in similibus casibus requirunt, præstiterint, in memoriam revocabunt, quàm ineffabili cum patientia perspicacissimus ille Salvator noster, cùm in terris ageret, viderit Dei Patris sui præcepta infringi atque contemni, etiam ab illis, qui ipsa alios docere debuissent, & tamen in corde dumtaxat suo vehementi istius rei sensu oppresso ingemuerit absque ulla inquietudine inde concepta.

11. Si quavis ex causa fuerint tristes, illi conformare se studebunt, quoad statum tristitiæ, quem in horto persentiscebatur. Si infirmi, considerabunt cunctas infirmitates nostras

stras in sanctissima fuisse persona illius, propriis ipsius doloribus, sanctificatas. Uno verbo, vivere annitentur, ac mori in perfecta conformitate cum sacratissima Jesu Christi Humanitate.

CAPUT XXV.

Alius excellentissimus modus Deum *Exercitiū*
semper habendi presentem. *IV.*

Ille in eo situs est, ut Deum agnoscamus in rebus omnibus operantem. Hoc est cuncta de manu ipsius recipiamus, neque creaturas, nisi tanquam ipsius instrumenta, consideremus, sed quæcumque nobis eveniant, illius in providentiam cuncta referamus, illique nostram totaliter conformemus voluntatem. Hoc exercitium mirabilis est emolumenti, animum enim semper erectum, & cor nostrum in magna conservat quiete. Est etiam unum è nobilissimis, quæ in vita spirituali usitari solent, quia consistit in actibus trium virtutum Theologicarum, *Fidei, Spei & Charitatis*, quæ cæteris omnibus antecellunt. Particularim id expositum imus.

Fidem hujus exercitii esse fundamentum.

ANte omnia necesse est firmissimam habere fidem istius veritatis, nihil videlicet in hac vita nobis evenire, quin expressa
Dei